

Quantum in
feudis Impe-
rii praescri-
ptio obtineat?

Ceterum an doctrina de praescriptione feudali generatim adhuc exposita, etiam speciatiim quoad feuda Imperii ita facile locum inueniat, de eo quidem merito dubito, ⁶⁾ propterea tamen non omnem eius usum plane denegare ausim. Patiuntur utique feuda quoque Imperii praescriptionem, & quidem modis omnibus supra recensitis, modo ea fiat legibus et constitutionibus Imperii aliis, & quae iis nititur formulae Imperii conuenienter. De quo tamen plura dicendi locus est in iure publico. De exemptione certe ab Imperio, quae intuitu vasallorum immediatorum etiam per praescriptionem fieri potest, satis prolixi sunt iuris publici interpretes. ⁷⁾

(p. 256.)

CAPVT XII.

DE

INVESTITURA FEVDI.

DISTINCTIO I.

Inter varias acceptiones vocis inuestiturae.

Variis vocis
inuestiturae
significatio-
nibus recen-
sitis.

Vox inuestiturae varium in iure feudali habet significatum. Denotat enim 1) ipsam rea-

⁶⁾ Cum Io. Iac. de MOSER in *Reichshofraths - Process*, Part. III. cap. 2. §. 59.; et Iac. Gabr. WOLFFIO in *element. iur. feud.* cap. IX. §. ult. MOEL.

⁷⁾ Lege inter alios Zachar. VICTOREM de exemptionibus Imperii; Frid. PFEFFINGERVM in *Vitriario illustrato* lib. II. tit. 5.; Just. Ge. CHLADENIVM in *differ. de iure redintegrandi clientelas exemptas*; Jo. Steph. PÜTZNERVM in *element. iur. publ. germ.* §. 684. seqq. Jo. Jac. de MOSER tum in *grössern teutschen Staats-Rechte*, tom. 43. p. 251. seqq. tum in *tr. von denen teutschen Reichständen* &c. lib. I. cap. X. pag. 311. seqq. MOEL.